

*premit undique bellum:*  
**Caesar and Alexandria**  
**in Lucan's *Bellum Civile***

**Frances Mills**  
**La Trobe University**

**Pacific Rim Roman Literature Seminar**  
**State University of New York**  
**Buffalo, New York**  
**29 June, 2001**

1. ut primum terras Pompei colla secutus  
attigit et diras calcavit Caesar harenas,  
pugnavit fortuna ducis fatumque nocentis  
Aegypti, regnum Lagi Romana sub arma  
iret, an eriperet mundo Memphiticus ensis  
victoris victique caput. (10. 1-6)
2. sed Caesar confisus fama rerum gestarum infirmis auxiliis  
profisci non dubitaverat, aequae omnem sibi locum tutum  
fore existimans. (BCiv 3.106)
3. ibi plena tumultu  
litora et incerto turbatas murmure voces  
accipit, ac dubiis veritus se credere regnis  
abstinuit tellure rates. (9.1007-10)
4. sed fremitu volgi fasces et iura querentis  
inferri Romana suis discordia sensit  
pectora et ancipites animos, Magnumque perisse  
non sibi. (10.11-14)
5. ... atque ibi primum e nave egrediens clamorem militum  
audit, quos rex in oppido praesidii causa reliquerat, et  
concursum ad se fieri videt, quod fasces anteferrentur. in  
hoc omnis multitudo maiestatem regiam minui praedicabat.  
hoc sedato tumultu crebrae continuis diebus ex concurso  
multitudinis concitationes fiebant, compluresque milites  
huius urbis omnibus partibus interficiebantur.  
(BCiv, 3.106)
6. curisque ingentibus aeger  
spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.  
(Aen. 1. 208-9)

7. tua profuit umbra,  
Magne, tui socerum rapuere a sanguine manes,  
ne populus post te Nilum Romanus amaret.  
inde Paraetonium fertur securus in urbem  
pignore tam saevi sceleris sua signa secutam.  
(10. 6-10)
8. intrepidus superum sedes et templa vetusti  
numinis antiquas Macetum testantia vires  
circumit ...  
(10.14-17)
9. illic Pellaei proles vaesana Philippi  
felix praedo, iacet terrarum vindice fato  
raptus: sacratis totum spargenda per orbem  
membra viri posuere adytis; Fortuna pepercit  
manibus, et regni duravit ad ultima fatum.  
(10. 20-24)
10. terrarum fatale malum fulmenque, quod omnis  
percuteret pariter populos, et sidus iniquum  
gentibus.  
(10. 34-36)
11. Macetum fines latebrasque suorum  
deseruit victasque patri despexit Athenas,  
perque Asiae populos fatis urgentibus actus  
humana cum strage ruit gladiumque per omnis  
exegit gentes; ignotos miscuit amnes  
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen:  
(10. 28-33)
12. quis tibi vaesani veniam non donet amoris,  
Antoni, durum cum Caesaris hauserit ignis  
pectus?  
(10. 70-72)
13. et in media rabie medioque furore  
et Pompeianis habitata manibus aula  
sanguine Thessalicae cladis perfusus adulter  
admisit Venerem curis, et miscuit armis  
inlicitosque toros et non ex coniuge partus.  
(10.72-6)
14. regina ad templum, forma pulcherrima Dido,  
incessit, magna iuvenum stipante caterva.  
qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi  
exercet Diana choros, quam mille secutae  
hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram  
fert umero gradiensque deas supereminet omnis;  
Latoniae tacitum pertemptant gaudia pectus:  
talis erat Dido, talem se laeta ferebat  
per medios, ...  
(Aen.1.496-504)

15. cum se parva Cleopatra biremi  
 corrupto custode Phari laxare catenas  
 intulit Emathiis ignaro Caesare tectis...  
 (10. 56-60)
16. dedecus Aegypti, Latii feralis Erinys,  
 Romano non casta malo. quantum inpulit Argos  
 Iliacasque domos facie Spartana nocenti,  
 Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.  
 terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro  
 et Romana petit inbelli signa Canopo  
 Caesare captivo Pharios ductura triumphos;  
 (10.59-65)
17. quem formae confisa suae Cleopatra sine ullis  
 tristis adit lacrimis, simulatum compta dolorem  
 qua decuit, veluti laceros dispersa capillos,  
 et sic orsa loqui: "si qua est, o maxime Caesar,  
 nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,  
 exul, in aeternum sceptris depulsa paternis,  
 ni tua restituit veteri me dextera fato,  
 conplector regina pedes.  
 (10. 82-89)
18. lege summa perempti  
 verba patris, qui iura mihi communia regni  
 et thalamos cum fratre dedit.  
 (10. 92-94)
19. at domus interior regali splendida luxu  
 instruitur, mediisque parant convivia tectis:  
 arte laboratae vestes ostroque superbo,  
 ingens argentum mensis, caelataque in auro  
 fortia facta patrum, series longissima rerum  
 per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.  
 (Aen. 1. 637-642)
20. ... In arce summa Pelopiae pars est domus  
 conversa ad Austros, cuius extremum latus  
 aequale monti crescit atque urbem premit  
 et contumacem regibus populum suis  
 habet sub ictu; fulget hic turbae capax  
 immane tectum, cuius auratas trabes  
 variis columnae nobiles maculis ferunt.  
 post ista uulgo nota, quae populi colunt,  
 in multa dives spatia discedit domus.  
 (Thyestes, 641-649)
21. et inmodice formam fucata nocentem,  
 nec sceptris contenta suis nec fratre marito,  
 plena maris rubri spoliis, colloque comisque  
 divitias Cleopatra gerit cultuque laborat.  
 candida Sidonio perlucent pectora filo,  
 quod Nilotis acus compressum pectine Serum  
 solvit et extenso laxavit stamina velo.  
 ( 10. 137-143)

22.                             pro caecus et amens  
ambitione furor, civilia bella gerenti  
divitias aperire suas, incendere mentem  
hospitis armati.                             (10.146-149)
23.     discit opes Caesar spoliati perdere mundi,  
et gessisse pudet genero cum pauper bellum,  
et causas Martis Phariis cum gentibus optat.  
  (10.169-170)
24.     fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,  
sed tamen et vestri; media inter proelia semper  
stellarum caelique plagis superisque vacavi, ...  
  (10.184-186)
25.     sed, cum tanta meo vivat sub pectore virtus,  
tantus amor veri, nihil est, quod noscere malim  
quam fluvii causas per saecula tanta latentem  
ignotumque caput: spes sit mihi certa videndi  
Niliacos fontes, bellum civile relinquam.  
  (10.188-192)
26.     isset in occasus mundi devexa secutus  
ambissetque polos Nilumque a fonte bibisset:  
  (10. 39-40)
27.     Summus Alexander regum, quem Memphis adorat,  
invidit Nilo, misitque per ultima terrae  
Aethiopum lectos: illos rubicunda perusti  
zona poli tenuit; Nilum videre calentem.  
  (10. 278-279)
28.     en, altera venit  
victima nobilior. placemus caede secunda  
Hesperias gentes: iugulus mihi Caesaris haustus  
hoc praestare potest, Pompei caede nocentes  
ut populus Romanus amet.  
  (10.385-389)
29.                             tangunt animos iraeque metusque,  
et timet incursus indignaturque timere.  
sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris  
et frangit rabidos praemorso cercere dentes ...  
  (10. 443-6)
30.     sed adest defensor ubique  
Caesar et hos aditus gladiis, hos ignibus arcet,  
obsessus gerit, tanta est constantia mentis,  
expugnantis opus.  
  (10.488-491)